



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Qui intelligendum sit quod hic à varijs dicitur: unicuique ad divinam contemplationem, & mysticami unionem esse aspirandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

Quamobrem verum est quod istuc etiam dicebatur; alias esse perfectorum proprias, alias incipientium, aut proficientium, exercitationes. Sed verum est quoque, quod prædiximus, etiam ijs qui perfecti sint, non deesse in Christo crucifixo congruæ exercitationis materiam: quòd is, teste Blofio supra, sit Liber perfectis imperfectisque communis; & in quo (ut alibi ait) quidquid ad perfectionem & contemplationis celsitudinem pertinet, mirabiliter supernaturaliterque relucet & legitur. Atque ante illum B. Laurentius Iustinianus, de eo ipso Libro loquens: *Habet (inquit) foris simplex indoctus quod legat, habet spiritualis & perfectus intus quod intelligat: quia scilicet (ut ibidem tradit) charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam, Christus in hoc corporis sui volumine concludit.*

Præf. Marg. spir.

De triūph. Chr. agon. sap. 29.

Quò etiam tendit Guilielmi Abbatis S. Theodoric præclara sententia; qui in meditatione quadam, de sua agens circa Christum crucifixum occupatione, & ad quædam alludens Isaiæ verba cap. 6. *Non (inquit) despiciam te, Domine, super hoc, qui merentur te videre sedentem super solium, excelsum & elevatum Divinitatis tuæ, & majestate tuâ replentem omnem terram: quia & ea quæ sub te sunt humana dispensationis mysteria, omnis contemplationis replent templum, cuiuscunque sit magnitudinis. Sic ille.*

§. 2.

Quis intelligendum sit, quod hic à varijs dicitur: univèrsam ad divinam contemplationem & mysticam unionem esse aspirandum.

*F. Blot. in-
sit. spir.*

s. 10.

Spec. Spir.

sap. 10.

Thom. à Jesu

de orat. di. 6.

sap. 23.

Postremum: quoniam Doctores mystici quandoque affirmant, meritò debere omnem hominem, non tantùm ad vitæ perfectionem, sed per hanc, etiam ad illam intimam cum Deo adhæsiōnem aspirare, tanquam ad summum bonum

num quod possit homini obvenire in vita mortali: quandoque è contrà aspirandum non esse significant, quòd nullo conatu ad eam perveniri valeat, sed singularis sit Dei gratia, sua dona quibus vult atque prout vult dividit: videtur ex dictis res ferè posse in hunc modum definiri

Primò enim eo aspirare licet (ei maximè qui perfectus sit) sancto quodam, animæ amantis, & ad summam cum Deo conjunctionem anhelantis, desiderio. Verumtamen desiderio *humili*: ne fortè se dignum tanto Dei dono existimet, aut ad id etiam posse labore suo pertingere.

Quieto: rem omnem permittens ex parte sua suavissimæ Dei providentiæ, in qua perinde acquiescat, sive ad altiora provehatur, sive relinquatur in inferioribus; ei fortassis, demissione suâ, & amanti sub ejus nutus subjectione, gratior acceptiorque futurus.

Puro: sic ut eam sui ad Deum adhæsiõnem castè desideret; non ullius sui commodi solatiivæ spiritualis gratiæ, (quod suprà diximus ad amorem proprium, & quandam quasi fornicationem spiritualem pertinere) sed solo studio divinæ gloriæ, & gratiæ gustûs ac beneplaciti divini.

Addit S. Bernardus id desiderium etiam ardens esse, *Serm. 31.* debere. *Oportet namque (inquit) ut sancti desiderij ardor in Cant. pracedat faciem ejus (Dei scilicet) ad omnem animam ad quam ipse venturus est, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic praparet locum Domino.* At id jam ex parte videtur ad sequentia spectare.

Secundò igitur aspirari potest, removendo à se omne impedimentum excellentissimæ illius divinæ operationis. Quò pertinet non tantùm puritas cordis, seu cujusvis noxæ, etiam levioris (quæ saltẽ cum plena deliberatione suscipitur) aut cujusvis etiam intentionis sinisterioris, evitatio; verùm etiam perfectæ mortificationis studium, atque compressio omnium pravæ cupiditatum: itẽmque exclusio cura-

curarum superfluarum, & sancta quædam solitudo cordis, expunctis etiam (quoad fieri poterit) ex hominis mente universis rerum sæcularium formis ac simulacris. Ita enim divinus spiritus, qui in pace, silentio, tranquillitate libenter habitat, eâ humilis mentis compositione delectatus, fortassis ad eam veniet, eique se modo singulari conjunget.

Non tamen excludet a seeta meus (quamdiu specialiter non prævenitur à Domino) ex animo suo omnes etiam rerum sanctarum, etiam sacræ Humanitatis Christi, imagines: quod supra esse demonstravimus, multis & fallacijs & discriminibus obnoxium. Inestque insuper hoc periculi; ne conatu stulto atque supervacuo (imò & noxio) vel caput lædat, & mentem obturbet; vel dum ipsam Christi Humanitatis præsentiam, & omnem sanctam imaginem declinare nititur, omnem potius ex animo suo veram devotionem expungat, & se spiritu exuicium atque omnis sapientis spiritualis expertem inveniatur. Expectabit igitur verè, si fortè aliquando vocetur ad beatum illud silentium atque otium sanctæ contemplationis. Interim stabit in loco suo: neque regiæ mensæ non invitatus se ingeret, neque in secretum Regis cubiculum improbè irruet non vocatus.

Serm. 31.
in Cant.

Accedendum enim ad eum, non irruendum (inquit S. Bernardus) *ne irreverens scrutator majestatis opprimatur à gloria.*

Farrag. u.
sil. inbit.

Neque tamen displicet hoc loco Abbatis Blossij monitum illud, quod a seeta suo his verbis tradit in quadam epistola: *Interdum etiam ipsis imaginibus humanitatis piè relictis, attende placidè, simpliciter & amorosè jucundam atque amabilem præsentiam Divinitatis, si potes. Ita enim, aliâ quæque parùm aut nihil considerans, nonnullam mentis nuditatem, cogitationisque simplicitatem in te senties.*

Tertiò: denique eodem aspirari potest; sed juxta consuetas divinæ providentiæ vias; quæ à nobis postulat scilicet, ut ad hoc ipsum comparemus nos, diuturnâ atque assi-

dua

duā virtutum fortium ac solidarum (quarum summum ac certissimum exemplar est vita & mors ac passio Salvatoris) exercitatione; utque nobismetipsis penitissimè nos exuentes, & veteris Adæ deponentes imaginem, crucifixæ Christi Humanitati configuremur, in ejus postea gloriosam Divinitatem, fortassis etiam in hac vita, singulari modo transformandi.

Quippe, ut antea non semel cum Patribus diximus, crucifixæ Christi Humanitas, via est pertingendi ad Divinitatem; tantum abest, ut ei impedimento sit: ipso etiam Christo Domino, disertè affirmante S. Gertrudi: affectum erga Crucifixi imaginem, non impedire fruitionem interiorum bonorum Dei.

*Divin. in-
fin. lib. 3.
cap. 43.*

Quæ omnia tandem id efficiunt, quod hac prolusione efficere ac demonstrare instituimus; seriam atque constantem circa Christum crucifixum occupationem, tum imperfectis tum perfectis esse necessariam; neque ijs etiam, qui ad sublimiora vocati sint, & quamlibet intimam cum Deo adhesionem experti, aspernandam esse aut negligendam.

C A P U T VII.

Frequentem passionis Christi memoriam æterno Patri acceptissimam esse.

PROferamus nunc in medium incitamenta quædam specialia, quibus ad id Exercitij, quod præsentis tractatione commendandum suscepimus, in usus nostros deducendum, magis ac magis extimulemur. Quorum primum illud sit: Passionis ac mortis Christi devotam memoriam, æterno Patri non posse non esse acceptissimam.

